

215

ANNO MDCCLXXIII.

d. 6. Julij.

**A**nnum proxime finitum 1762. Sextum, quo infelici bello afflicta ingemuit Saxonia, et cum hac Lusatia, omnium priorum infelicitissimum fuisse, nemo erit, qui infitias ibit. Quem fugiunt continuæ ab initio Mensis Julij depraedationes Turmae cujusdam levis armaturae equitum Borussiae, Hussaros vocant, duce quodam Szcetkuli, cujus nomen perhorrescit Lusatia? Quis necit, per illum, omnium pene urbium et pagorum Obsides ex Ordine Senatorio et Judiciali Plogaviam missos? Sui ignotae sunt Summae, nomine Contributionis bellicae ad Obsides liberandos, translatae.

Sed has calamitates, graviores omnino, vel in primis Civitati nostrae longe gravissimas excepisse, jure meritoque asseverare mihi videor.

Testantur hoc plus quam XX Volumina Actorum Publicorum Aunc temporis scripta. Relatum in illis leges, Exercitum unum Borussiae, duce Schmettavio, per totum mensem Septembris et dimidiam Octobris, castra in suburbio habuisse, frumenta, et quod sustentationi opus fuit, ex civitate et adiacentibus pagis recepisse. Videbis alium Exercitum Borussiae duce Comite de Wied iter ex Silesia in Saxoniam facientem, circa finem Octobris intrasse civitatem, et statione duarum dierum facta, non solum frumenta, sed et omnis generis jumenta vi conquisita secum abduxisse. Tandem, si quod omnium gravissimum, certior fiet, tertium Exercitum Borussiae, duce Ramin, hiberna in civitate et pagis ejus Jurisdictioni obnoxio constituisse.

Duci huic militari, Ramin Summam  $\frac{180}{m}$  Thalerorum, contributionis bellicae nomine, et quidem  $\frac{124}{m}$  in parata pecunia et  $\frac{56}{m}$  in Litteris Sambialibus ad hoc 1763 redimendis, aliam  $\frac{16}{m}$  Thalerorum pro jumentis ad advehenda tormenta